

In fontibus enim & res, & verba, a Spiritu S. ortum trahunt, divinæque adeo & originis sunt, & autoritatis, tanquam *כְּתוּבֵי אֱלֹהִים* *scriptura Dei* Exod. XXXI, 18. XXXII, 16. & *γραφή θεόπνευστος* *scriptura divinitus inspirata* 2 Timoth. III, 16. Hinc Jeremias ea præcise verba scribere incitatur, quæ Deus ipsi dixerat, cap. XXXVI, 2. XXXVII, 2. Deique verba dicuntur, quæ ex dictantis Jeremiæ ore scripserat Baruch cap. XXXVI, 6. Esaiæ autem cap. LI, 16. & Jeremiæ cap. I, 9. Deus verba sua in os posuisse fertur. Quin & Deus ipse, quæ Prophetæ ejus nomine edixerant vel scripserant, sibi appropriat 1 Samuel. XV, 11. Jerem. VI, 19. XI, 10. XIII, 10. XVIII, 2. Ezech. III, 10. 11. sua vocans verba & a se scripta Os. VIII, 12. Hinc est, ut fontes plenarie ac immediate hanc obtineant autoritatem. Versiones autem in tantum eam participant, in quantum cum materia verbi, in fontibus comprehensi congruunt, sensumque referunt divinum. Neque enim verbum Dei in alias linguas translatum, aliam quoque induit naturam, vel divinæ autoritatis jacturam facit, cum non in sono verborum, sed sensu mens lateat supremi Numinis, qui sensus quovis demum idiomate declarari & exprimi potest. Unde non una, sed variis multisque linguis, Apostoli *τὰ μεγάλα τῆ θεῆ* annunciabant, sine ullo sensus divini detrimento Act. II, 11. & in qualibet lingua verbum Dei aptum natum est, se ad omnem conscientiam demonstrare 2 Cor. IV, 2. Ista tamen *ἀυθεντία* in versionibus saltem quoad res & sensum, non item quoad idioma deprehenditur, quo res divinæ exprimuntur; quia verba versionum non *θεόπνευστα* sunt, sive immediate divina, sed *ἀνθρώπινα*, ab hominibus ad reddendam fontium dictionem & phrasin adhibita, nec humanam transgredientia autoritatem. Hinc dispar ille inhærendi modus resultat, quo autoritas divina aliter fontibus inest, aliter versionibus, humano interpretum studio concinnatis (*).

§. V.

In demonstranda vero ista Codicis nostri autoritate, *demonstratio dispar,*
 alia via incedimus apud convertendos dociles, & tentatos

I 3

(*) Confer. denuo Heidegger. *cit. loc. §. 5. p. 32. coll. cum §. 26. sqq. p. 50.*